

mentalii intelligentur, *cōc.*; si de confessione sacramentali intelligenda sint, *nēgo cōseq.* Etenim quidam dicunt B. Jacobum per verba *confitemini alterutrum peccata vestra*, solam intelligere confessionem quae fit humilitatis causa, vel ad petenda consilia: tunc certum est ipsos laicos hujusmodi confessionem aliquando excipere posse. Si vero, ut alii volunt, de confessione sacramentali ibi Apostolus loquatur, per verbum *alterutrum*, non quilibet intelligendi sunt homines, sed soli sacerdotes, siquidem invictis argumentis constat solos sacerdotes hujus sacramenti esse ministros. Ergo.

Obj. 2^o. S. Cyprianus dicit, Ep. 12, loquens de homine in periculo mortis constituto: « Si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cōperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possunt, ut manu ejus in Pœnitentiam imposta, veniant ad Domum cum pace. » Ergo saltem et diaconi sunt ministri hujus sacramenti ad sensum P. Morini.

R. Nēgo cōseq. Nam, juxta doctorum interpretationem quae perpetua traditione innititur, de sacramentali reconciliatione ibi non agitur, sed de absolutione ab excommunicatione in lapsos pronuntiata, vel probabilius a pœnitentiis canonice quibus lapsi subiciebantur: atqui non repugnat diaconos olim fuisse deputatos ad tollendas hujusmodi pœnas ecclesiasticas, præsertim in casu necessitatis, ut exprimit S. Cyprianus. Si autem Ecclesia per suasum habuisset eos in casu necessitatis a peccatis sacramentaliter absolvere posse, cur ministerium istud decursu temporum ipsis non credisset et etiam nunc non crederet, sed potius crudeliter sineret peccatores, deficiente sacerdote, in præsentia diaconi sine reconciliationis sacramento decidere? Nonne talis consuetudo demonstrat non magis diaconos quam laicos sacramenti Pœnitentiae esse ministros? Ergo.

Inferendum est, ex dictis in præsenti articulo, absolutiones a confessario non valide ordinato, sive sit impostor, sive bona fide se credit sacerdotem, prorsus esse nullas: sola igitur contritione perfecta peccator in eo casu justificari potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE JURISDICTIONE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIAE NECESSARIA.

Jurisdictio in genere est potestas regendi subditos, ut explicatur in Tractatu de Ordine. Potest esse civilis vel ecclesiastica, pro foro externo vel pro foro interno. Hic agitur de sola jurisdictione pro foro interno, non secundum totam suam extensionem, sed tautum in ordine ad absolutionem sacramentalem.

Definitur potestas quam habet sacerdos alterum in sacramento Pœnitentiae absolvendi et obligandi tanquam subditum.

Duplex distinguitur, ordinaria scilicet et delegata. Ordinaria ea est quam quis habet ratione sui officii, cui jure communi annexa est cura animarum. Talis est jurisdictione quam habent, ratione suorum officiorum, Papa, episcopus, parochus.

Jurisdictio delegata illa dicitur quam habet sacerdos ex alterius commissione, ut, apud nos, vicarii, presbyteri habituati, missionarii, eleemosynarii hospitiorum, capellani monasteriorum, etc.

Hic septem nobis inquirenda sunt, videlicet 1^o an jurisdictio sit necessaria ad validitatem absolutionis; 2^o quinam habeant jurisdictionem ordinariam; 3^o quinam habeant delegatam; 4^o an qui ex errore communi pro ordinariis vel delegatis habentur, valide absolvere possint; 5^o quid sit approbatio et an necessaria; 6^o quinam a peccatis reservatis absolvere possint: 7^o quinam habeant jurisdictionem in articulo mortis.

§ I. — An jurisdictio sit necessaria ad sacramentum Pœnitentiae valide administrandum.

PROPOSITIO.

Præter ordinis potestatem, necessaria est jurisdictio in sacerdote ut valide absolvat.

Prob. 1^o auctoritate conciliorum, Conc. Lat. IV, can. 21, hæc habet: « Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa

» de causa consiteri, licentiam prius postulet a proprio sa-
» cerdote, cum alter ille non possit solvere vel ligare. »

Conc. Flor., in Decreto ad Armenos, de ministro hujus sacramenti sic loquitur : « Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem ordinariam, vel ex com-
» missione. »

Conc. Trid., sess. 14, cap. 7, dicit : Quoniam natura et ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. » Sancta Synodus exponit cur jurisdictione sit necessaria, videlicet, quia sententia sacerdotis est actus judicialis : ut judicium autem sit validum, requiritur auctoritas in eo qui judicat et subjectio in eo qui judicatur : ergo non tantum jure ecclesiastico, sed institutione divina necessaria est jurisdictione.

Prob. 2º constanti traditione et praxi Ecclesiae. In primis enim saeculis, videnuis episcopos Poenitentiam per seipso imponere, poenitentes reconciliare, vel sacerdotes ad eos reconciliandos committere, parochos instituere, eisque parochianos subjicere, atque exigere ut eis solis peccata confiteantur. Ergo.

Dices : Omnis sacerdos accepit in ordinatione sua potestatem remittendi peccata his verbis : *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, remittentur eis.* Ergo vel jurisdictione non est necessaria, vel simul cum potestate Ordinis confertur.

R. Nrgo conseq. Nam, ut ait Concil. Trid., de natura est judicij ut sententia in subditos duntaxat feratur : ergo praeter potestatem judicandi, assignandi sunt subditi in quos haec potestas exerceri possit. Res illustrari potest exemplo ex ordine civili petito : supponatur quod rex aliquem constituat judicem eique titulum nominationis regiae conferat, sed tribunal ei non assignet; certe homo ille veram habebit potestatem judicandi, et tamen, defectu subditorum, illam exercere non poterit : talis est sacerdos

valide ordinatus : Christus illum constituit judicem ad remittenda aut retinenda peccata, sed necesse est ut Ecclesia assignet ei subditos. Certe hoc sensu intelligenda sunt verba ordinationis, *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata, etc.*, vel dicendum est quemlibet sacerdotem parem habere auctoritatem vi suae ordinationis, ac episcopos et ipsum Papam, proindeque concilia generalia prius citata errasse, traditionem esse deserendam et Ecclesiae consuetudinem reformandam. Ergo.

Non requiritur autem jurisdictione pro validitate aliorum sacramentorum, v. g., Baptismi, Eucharistie, Extrema-
unctionis, quia per modum judicij non administrantur.

§ II. — Quinam jurisdictionem ordinariam habeant, in quos habeant, ubi exerceant et quomodo amittant.

Primo, omnes pastores legitime constituti ordinariam habent jurisdictionem. Nomine autem pastorum si omnes intelliguntur qui ratione sui officii vel tituli habent jure communni curam animarum. In triplici ordine vulgo ponuntur, scilicet :

1º Summus Pontifex pro universo orbe, respectu omnium christianorum. Ad hunc ordinem revocandi sunt major Pœnitentiarius et Legatus a latere, qui ratione sui officii ordinariam habent jurisdictionem, prior in teta Ecclesiae, et posterior in sua legatione.

2º Episcopus pro tota sua diœcesi et respectu omnium diecesanorum. Sub ejusdem nomine comprehenditur vicarius generalis, qui non solum in causis civilibus, ut quidam volunt, sed in spiritualibus eadem est persona moralis cum episcopo, et ideo eamdem exercet jurisdictionem. At, moriente episcopo, amittit officium proindeque jurisdictionem. Ad hunc ordinem pertinent archiepiscopi in diecesibus suffraganeis, sed tempore visitationis duntaxat; vicarii capitulares, sede vacante; pœnitentiarius, si quis sit legitime institutus; abbates exempti, si qui sint, in proprio territorio; generales ordinum et provinciales respectu religiosorum sibi subditorum.

3º Parochus in sua parochia et respectu parochianorum.

Ad hunc ordinem olim revocabantur vicarii perpetui, et nunc revocandi sunt non solum parochi amovibiles, dicti *deservientes*, sed et ii qui ecclesiæ sub nomine capellæ *vicarialis* cognitæ præficiuntur; item prælati et superiores immediati monasteriorum. Hi enim omnes, ratione sui officii, habent curam animarum sive ex jure communi, sive saltem ex consuetudine, quæ communiter et præsertim ab episcopis sic intelligitur.

Secundo, jurisdictio ordinaria se extendit ad omnes et solos subditos. Porro aliquis fieri potest subditus, relative ad sacramenta, triplici modo :

1º Ratione domicilii vel quasi domicilii : utrumque, in ordine ad suscipienda sacramenta, si matronum excipiatur propter contractum, obtinetur ipso facto habitacionis cum intentione manendi indefinite vel per magnam anni partem. Unde episcopus jurisdictionem acquirit ordinariam in hominem ipso die quo incipit habitare in dioecesi sua cum animo manendi; item parochus in parochianum, etc. Qui duplex habent domicilium, v. g., domum vienies et domum æstatis in parochiis diversis, duplècēnt parochum et ab alterutro absolvī possunt, scilicet, ab eo in cuius territorio tunc degunt.

2º Ratione privilegii status : sic novitii, imo et sacerulares in monasteriis degentes et coniuncales continuū, eo ipso fiunt subditi superiorum regularium in ordinario ad sacramenta.

3º Ratione consuetudinis : sic vagi nullam habentes domicilium subjiciuntur episcopo et parocho in cuius territorio tunc existuat. Talis est universalis Ecclesiæ praxis.

Tertio jurisdictio ordinaria poenitentialis, nou item contentiosa, personas directe afficit easque ubique sequitur, et mediate tantum in territorio circumscriptur. Unde episcopus valide absolvere potest suos dicecesanos, parochus suos parochianos in qualibet orbis parte; imo et licite hoc faciet, habita vel rationabiliter presumpta ordinarii loci, sive episcopi, sive parochi, licentia. Ita P. *Antoine Bailly*, Theologia Lugd.

Quarto, cessat jurisdictio ordinaria per amissionem offi-

cii cui annexa est, *ut patet*; item per suspensionem vel per excommunicationem publice et nominatim denuntiatam: ita fert jus canonicum et unanimiter theologi docent. Non vero amittitur nec suspenditur per censuras quantumvis publicas, nec per irregularitatem, si denuntiatione publice et nominatim facta non fuerit. Sic adhuc omnes nunc theologi, post bullam *Ad vitanda scandala*. Hinc parochi legitime instituti qui juramentum constitutione civili anno 1790 præscriptum emiserant, non ideo sua jurisdictione exuti fuerant. Verum apud omnes constat jurisdictionem in his casibus illicite exerceri.

§ III. — Quinam habeant jurisdictionem delegatam.

De natura est jurisdictionis ordinariæ ut per alium exerceri possit, nisi ordinarius agnoscat superiorem qui delegationem prohibuerit. Unde legitur in Sexto Decretalium, lib. I, tit. 17, c. 7: « Cum episcopus in sua tota dioecesi » jurisdictionem ordinariam noscatur habere, dubium non » existit quin in quolibet loco ipsius dioecesis non exempto, » per se vel per alium possit pro tribunali sedere. »

Delegatio oritur 1º communiter ab homine, qui jurisdictione ordinaria gaudens, alium committit ad functiones sui ipsius officii explendas; 2º aliquando a jure, id est, vel a lege ecclesiastica, vel a constitutione pontificia, quæ jurisdictionem alicui confert ad supplendum ministrum ordinarium in casu necessitatis; 3º nonnunquam a consuetudine, quæ, debitis conditionibus vestita, vim habet legis. Duplici modo fieri potest delegatio, directe et indirecte. Fit directe, quando sacerdos audiendis confessionibus in uno loco committitur. Fit vero indirecte, si ordinarius concedat poenitenti facultatem sibi eligendi confessarium et ab eo absolutionem suscipiendi, quod tempore jubilæi concedere solet Pontifex maximus. In posteriori hoc casu, jurisdictio non creditur laico, ut eam confessario tradat, sed occasione electionis a laico factæ, sacerdoti confertur.

Ut legitima sit delegatio, plures requiruntur conditiones, videlicet 1º ut delegans legitimus sit ordinarius et limites suæ jurisdictionis non excedat: unde absolutiones ab epi-

scopis, vi constitutionis civilis cleri Gallicani institutis, et a sacerdotibus ab eis delegatis concessæ, erant nullæ; 2º ut delegare non prohibeatur, quales sunt degradati et excommunicati vitandi; 3º ut consensus ejus sit formalis, actualis et expressus, nec sufficeret consensus futurus rationabiliter præsumptus, nec ratilabitio de præterito, si nempe ordinarius dicat: Approbo quod factum est; quia nec jurisdictionio præsumpta, nec approbatio præteriti in actum judiciale influunt; 4º ut delegatus sit capax, id est, rite ordinatus, nec excommunicatus publice denuntiatus aut degradatus; 5º ut ab episcopo dioecesano obtinuerit approbationem de qua tractabimus infra, si agatur de delegatione ab homine facienda.

Delegatio fieri potest scripto, verbo, vel alio quolibet signo voluntatem delegantis sufficienter manifestante: sedulo autem pensandi sunt termini concessionis, quia tantum valent quantum sonant.

Hujusmodi delegatio facta sacerdoti, prout fit ordinarie, territorium immediate afficit et mediate tantum personas: non potest ergo ultra territorium assignatum valide exerceri.

Unde 1º vicarii qui apud nos delegatam habent jurisdictionem pro omnibus ecclesiis quæ sunt sub districtu ejusdem pastoratus primarii ac ecclesia in qua munia vicarii exercent, et in aliis ecclesiis ab ista plus quam duabus leucis non distantibus; ultra hos limites valide absolvere non possunt, nequidem habitantes parochiam in qua sunt vicarii. Omnes habitationes ab alia ecclesia parochiali pendentes, non aliter distare ac ipsam ecclesia censemur; unde ægroti qui, ad ecclesiam in territorio assignato stantem pertinentes, domi retinentur, ibi audiendi et absolviendi sunt.

2º Capellani xenodochiorum aliarumque communitatum sive mulierum sive virorum, sacerdotes sacrum ministerium in seminariis et in collegiis exercentes, et presbyteri habituati, similem habent jurisdictionem ordinarie circumscriptam, quam excedere non debent.

3º Parochi in nostra diœcesi, et in aliis multis diœcesi-

bus, præter jurisdictionem ordinariam in parochianos suos, habent delegatam pro tota diœcesi. Non solum igitur extraneos in propria ecclesia audire et absolvere possunt, saltem extra tempus paschale, sed in cunctis aliis ecclesiis, de consensu parochi, nisi haec jurisdictione in aliquo casu fuerit limitata, quod duplice modo fieri potest, scilicet quoad territorium, ut, v. g., si parochus extra propriam ecclesiam confessiones excipere prohibeatur; vel quoad personas, v. g., si parochus ad solos parochianos restringatur.

Ad audiendos privatum et absolvendos in aliena parochia proprios subditos confessarius jurisdictionem habens ordinariam licentia parochi respectivi non indiget; secus, si publice et præsertim in ecclesia. Hæc tamen licentia ad validitatem sacramenti non exigitur.

4º Parochi et etiam sacerdotes delegati unius diœcesis communius delegatam habent jurisdictionem pro parochiis adjacentibus alterius vicinæ diœcesis, secundum morem diœceseon vel episcoporum concessionem. Sic, ex more recepto, cuncti sacerdotes in diœcesibus nos circumstantibus legitimate approbati, eadem possunt in nostra diœcesi ad distantiam duarum leucarum, ac vicarii.

5º Ex consuetudine communiter recepta, quilibet sacerdotes ordinariam vel delegatam jurisdictionem habentes, audire possunt, extra tempus paschale, quosvis penitentes undique ad ipsos accedentes: legitime sedent pro tribunal in loco sibi assignato; et cum de jurisdictione voluntaria agatur, quascumque causas sibi oblatas terminare possunt, seclusa speciali prohibitione ex parte ordinariorum penitentium vel confessariorum. Quandoque parochi proprii sufficiente habere possunt ratione in licite obstatendi hujusmodi confessionibus apud alios sacerdotes deponendis; eas vero reddere non possunt nullas, quia non conferunt nec retrahere possunt jurisdictionem.

Diximus, *extra tempus paschale*; quia confessio annualis temporis paschali nunc affixa, alieno sacerdoti fieri non potest, sine proprii licentia, ex canone *Omnis utriusque sexus*, conc. Lat. Parochus autem est proprius sacerdos respectu

parochianorum et episcopus respectu dicecessanorum : ad confessionem igitur paschalem specialis requiritur licentia parochi vel episcopi. An vero licentia ista sub poena nullitatis requiratur, non omnes ejusdem sunt sententiæ. Certum est requiri licentiam parochi vel episcopi, et quidem sub poena nullitatis, cum concilium dicat alium sacerdotem sine licentia proprii absolvere non posse : sed quæstio est an delegatio generalis episcopi sufficiat, an vero expressa pro tempore paschali requiratur, sive parochi, sive episcopi. Hoc a voluntate episcoporum pendet, saltem juxta sententiam nunc communem quæ certa nobis videtur. Disciplina igitur diœceseon examinanda est, et sequenda. Nunc in tota Turonensi provincia, ex concilio Rhedonensi anno 1849 celebrato, annua confessio fieri potest omni sacerdoti approbato, sicut quæcumque alia confessio, et parochi tenentur publice nuntiare, præsertim in quadragesima, licentiam fidelibus concessam ; eos exinde hortentur, omni repugnantia vel difficultatis prætextu amoto, ad confessionem diligenter, tempore opportuno, faciendam.

Jure communi aut potius consuetudine generaliter recepta extranei et iter agentes qui in aliena diœcesi vel parochia tempore Paschatis existunt, ibi præcepto confessio-nis et communionis satisfacere possunt; non ita qui sic consulto abessent ut directioni et vigilantiae proprii parochi se subtraherent.

Quæritur 1º an quidam habeant a jure facultatem confessarium sibi eligendi?

R. *Gregorius IX, Decret. l. 5, tit. 38, c. 16*, hæc habet : « Ne pro dilatione pœnitentia periculum immineat anima-» rum, permittimus episcopis et aliis superioribus, nec non » minoribus prælatis exemptis, ut etiam præter superioris » sui licentiam, providum et discretum sibi eligere possint » confessarium. » Hæc concessio non sicut revocata.

Igitur 1º episcopi, etiam nondum consecrati, modo sint confirmati, sive sint titulares, sive *in partibus*, sive *demissionarii*, quemlibet voluerint sibi eligere possunt sacerdotem in confessarium, non tantum in propria diœcesi, quod a nemine negatur, sive subditum, sive extraneum sacer-

dotem eligant, sed etiam in aliena diœcesi; tuncque vel subditum secum iter facientem aut ibi repertum, vel extraneum eligere possunt. Plures tamen theologi contendunt illos eligere non posse, extra territorium suæ diœcesis, sacerdotem a proprio episcopo non approbatum. Ita *Fagnan, Collet*, etc.

2º Generales ordinum, provinciales, abbates a jurisdictione episcoporum exempti, cardinales, prælati locales exempti, ut priores, guardiani, rectores, omnes qui sub nomine superiorum intelliguntur, confessarium pariter sibi eligere possunt sive inter regulares, sive inter sacerdotes, sed probabilius inter eos tantum qui ab ordinario sunt approbati.

Quidam extendere voluerunt privilegium episcopis et superioribus a constitutione Gregoriana concessum, ad parochos; sed communius hæc facultas ipsis adiunitur : in tali controversia pars tutior est eligenda.

Quæritur 2º quamdiu duret jurisdictionis delegata.

R. Vel concessa est ad tempus determinatum, v. g., ad annum, et adveniente termino præfixo, expirat, sine positiva revocatione; vel data est sine limitatione temporis, et tunc perseverat donec revocata fuerit, quia juxta regulam 16 juris, in Sexto, *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum* : et aliunde jurisdictionis delegatio apud omnes habetur ut gratia. Ergo.

Non cessat ergo per mortem delegantis : ita statuit in Sexto, l. 3, tit. 4, cap. 36 ; nec pariter per demissionem, suspensionem, interdictum aut depositionem ejus.

Quidam arbitriati sunt jurisdictionem delegatam sub ea clausula *ad beneplacitum nostrum*, etsi generalem, per mortem delegantis expirare; alii vero generaliter admittunt eam perseverare donec a successore revocetur, et ita fert consuetudo apud nos recepta relative ad eos qui ejusmodi delegatam habentes jurisdictionem, ea nihilominus utuntur post mortem aut demissionem episcopi.

Secus esset dicendum de particulari delegatione ad recipiendam confessionem talis vel talis personæ, confessione nondum incepta, S. *Lig.*, l. 6, n. 559.

Requiritur ut revocatio sufficienter delegato manifestata fuerit : hinc absolutions inter revocationem et manifestationem ejus concessæ, validæ sunt.

Verum, cum delegatio a sola voluntate delegantis pendeat, semper revocari potest a delegante vel a successore aut superiore ejus, etiam sine causa et illicite. De facto revocatur per suspensionem ab homine, per excommunicationem denuntiatam et interdictum.

Notandum episcopum quemlibet presbyterum censuris non ligatum, sive diocesanum, sive extraneum, delegare posse, imo et censuris non reservatis Papæ et sibi notis ligatum, quia eo ipso eum absolvit aut ab irregularitate dispensat.

Quæritur 3º an delegatus alium subdelegare possit.

R. Delegatus ad universale, v. g., ad officium episcopi vel parochii absentis, potest delegare ad particulare, ut generaliter docetur (*S. Ligoriu*s, l. 6, n. 566); sed delegatus ad particulare, v. g., ad audiendas confessiones, subdelegare non potest, nisi hanc facultatem a delegante obtinuerit. Ratio est, quia vi delegationis habet tantum potestatem exercendi jurisdictionem quoad personas, non vero eam alteri committendi. *Ita omnes theologi et canonistæ.*

§ IV.—An qui ex errore communis pro pastoribus ordinariis vel pro delegatis habentur, valide absolvere possint.

Omnes generaliter docent eos qui ex errore communis pro pastoribus ordinariis vel pro delegatis habentur, valide absolvere posse, positis quibusdam conditionibus; imo et licite, si error ab ipsorum voluntate non pendeat; nam Ecclesia in eo casu, pro bono spirituali fidelium, ad tollendas anxietates et vitanda scandalum, supplet jurisdictionem; hoc autem, quod aliquo sensu innuitur ex argumento *a pari*, desuupto de jure civili, lege *Barbarius*, de Officio prætorum, probatur tum 1º ex jure canonico, Decreto, *Causa tertia*, quæst. 7, cap. *Insomis*; tum 2º ratione; Ecclesia est enim optima mater: atqui talis non esset, si in hujusmodi circumstantia jurisdictionem in

gratiam filiorum suorum non suppleret; tum 3º ex communi sensu omnium doctorum, qui in hac materia gravissimi sunt ponderis. Ergo.

Ut autem valeat jurisdictione sic delegata, tres requiruntur conditions, scilicet 1º ex parte confessarii, titulus coloratus; 2º ex parte populi, error communis; 3º ex parte Ecclesiæ, ut jurisdictionem supplere possit.

1º Titulus coloratus, id est, titulus a superiori legitimo acceptus, sed ob defectum occultum, v. g., ob excommunicationem, simoniam aut irregularitatem, nullus, aut valide concessus, sed occulte revocatus. Necessitas hujus tituli fundatur in dispositione juris canonici; ita saltem indicant canonistæ, ut videre est apud *Fagnan*, *Dens*, et inde concludunt actus intrusi semper esse nullos.

Hinc invalida est absolutio ab eo collata qui falsas litteras approbationis confixit, vel delegationem sub falso nomine obtinuit, vel etiam qui delegationem pro tempore fixo, v. g., ad triennium, obtinuit, et elapsa hoc tempore confessiones pergit audire: nam, quidquid nonnulli dicunt, titulus coloratus ipse deest. Ita *Layman*, *Sanchez*, congreg. Conc. anni 1683, *Bened. XIV*, Inst. 84, § 16; *S. Ligoriu*s, l. 6, n. 572, contra *Billuart*.

Mala autem fides ejus qui realiter habet titulum coloratum, validitatì absolutionis non nocet.

2º Requiritur error communis, talis scilicet quod vitium tituli vel revocatio ejus communiter ignoretur apud populum, in loco ubi suscipitur confessio; alioquin non metuendum esset damnum publicum: attamen Ecclesia non supplet jurisdictionem nisi ad vitandum malum publicum. Ergo. Unde error unius aut alterius etiam invincibilis, jurisdictionem sacerdoti non conserret. Si rumor serperet inter populum circa validitatem tituli parochii, aut circa illius officii revocationem, qui peccata ei confiteri vellet, teneretur antea veritatem rumoris inquirere, *ut patet*: si autem, adhibiti diligenti inquisitione, dubium maneat, valide ille sacerdos absolvere potest, quia injustum esset illum, in dubio, possessione certa privare.

3º Requiritur ut Ecclesia defectum supplere possit,

secus error communis et titulus coloratus frustra invocantur. Hinc si impostor non sacerdos, exhibitis falsis testimoniis, officium parochi aut vicarii obtineat, omnes ejus actus sunt nulli, quia potestatem ordinis Ecclesie supplere non potest, nec alios defectus juris naturalis aut divini, sed solos defectus juris ecclesiastici.

Quæritur 1º an ex solo errore communi, sine titulo, Ecclesia suppleat jurisdictionem.

R. Plures affirmant, inter quos card. *de Lugo, Sanchez, Bonacina, Billuart*, etc., quia, inquit, posito errore communi, eadem in detrimentum animarum sequuntur incommoda ac si titulus coloratus existeret: Ecclesia autem jurisdictionem supplere potest: ergo eam supplet. Alii vero non pauci negant, præcipue quia talis jurisdictione potius presumitur quam judicatur existere; est igitur dubia: porro jurisdictione dubia uti non licet. Attamen, propter rationem alterius sententiae optandum esset, inquit *Collet, Contin. Tournely*, pastores, id est episcopos, jurisdictionem in eo casu supplere.

Quæritur 2º an liceat uti jurisdictione probabili in personas vel in peccata.

R. Concina, P. Antoine, et alii absolute negant, quia ubi de valore sacramentorum agitur, opinionem etiam probabilissimam, relicita tunc, amplecti non licet. *Billuart* et multi alii affirmant, contendentes Ecclesiam in eo casu jurisdictionem supplere, ex hypothesi quod re ipsa non existat, quia alioquin confessarii saepe forent anxii circa veritatem suæ jurisdictionis et poenitentes circa validitatem absolutionis: ad aliorum argumentum respondetur non licere quidem uti opinione probabilissima sed minus tuta, relicita tunc, ubi agitur de materia sacramentorum necessaria quam Ecclesia supplere non potest: at ibi agitur de jurisdictione quæ potestatem Ecclesiae non excedit.

Quidquid sit, illicitum est uti tali jurisdictione extra causum necessitatis, ut, v. g., si sacerdos in peccato mortali constitutus celebraturus esset, et copiam non haberet confessarii jurisdictionem certam possidentis. Ita ipse *Billuart, S. Ligorius et communiter theologi*.

§ V.— Quid sit approbatio et an sit necessaria.

Approbatio est judicium authenticum superioris de idoneitate sacerdotis ad confessiones excipendas, cum consensu ut jurisdictionem obtineat, vel habita utatur. Ratio hujus definitionis ex verbis Concilii Tridentini mox referendis desumitur.

Notandum est, ante Concilium Tridentinum, omnes pastores ordinarios, sive episcopos, sive parochos, sive vicarios perpetuos, jurisdictionem in animas sibi commissas quibusvis sacerdotibus delegare posse: sed frequenter contingebat sacerdotes audiendis confessionibus minime idoneos advocari, idque in ingens animarum detrimentum; quod malum sancta Synodus Tridentina praecavere volens, statuit ut deinceps nullus sacerdos delegari posset, nisi prius ab episcopo idoneus judicatus esset, et approbationem obtinuisse: sic se habet sancta Synodus, sess. 23, cap. 15, de Reform.

« Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipient, decernit tamen sancta Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis detur obtineat: privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. » Circa hoc decretum plurima sunt observanda, scilicet:

1º Approbationem necessariam esse ad validitatem sacramenti: nam qui non est idoneus ad audiendas confessiones, valide absolvere non potest: talis est sensus obvius, et ita omnes verba concilii intelligunt;

2º Approbationem cunctis necessariam esse sacerdotibus beneficium parochiale non habentibus, etiam doctribus, sive secularibus, sive regularibus.

3º Illam necessariam non esse parochis ad absolvendos parochianos suos ubicumque, bene vero, juxta communiorum sententiam, ad audiendas confessiones fidelium